Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26491
Copyright: Admont, Benediktinerstift



a p l o y

145

paul

preter multitudinem fuisset eum duci in castra. Et cum uenisset
ad gradus contigit ut portaretur a militibus. propter uim
populi. Sequebatur enim eum multitudo populi clamans:
tolle eum. Et cum cepisset induci in castra. paulus dixit
tribuno. Si licet mihi loqui aliquid ad te. Qui dixit:
graece nosti. Nonne tu es egyptius qui ante hos dies tu
multos concitasti. Et eduxisti in desertum quatuor
milia uirorum sicariorum. Et ait paulus. Ego
homo quidem sum iudeus a tarso cilicie non ignotae
ciuitatis municeps. Rogo autem te permitte mihi loqui
ad populum. Et cum ille permisisset. paulus stans
in gradibus adnuit manu ad plebem. et magno
silentio facto adloquitur ebrea lingua dicens.
Viri fratres et patres audite quam ad uos nunc reddo
rationem. Cum audissent autem quia hebrea lingua
loquitur ad illos magis praestiterunt silentium. Et dixit:
ego sum uir iudeus natus tarso cilicie nutritus autem in ista
ciuitate secus pedes gamaliel. Eruditus iuxta
ueritatem paternae legis. emulator legis. sicut et uos
omnes estis hodie. Qui hanc uiam persecutus sum usque ad
mortem alligans et tradens in custodias uiros ac mu
lieres. Sicut princeps sacerdotum testimonium mihi
reddit ipse. Et omnes maiores natu a quibus et epistulas
accipiens ad fratres damascum pergebam. Ut
adducerem inde uinctos in hierusalem ut pu[illegible]
nirentur. Factum est autem eunte me et adpropinquante
damasco. Media die subito de celo circumfulsit
me lux copiosa. Et decidens in terram audiui uo
cem dicentem mihi. Saule saule quid me persequeris.
Ego autem respondi. quis es domine. Dixitque ad me: ego
sum ihesus nazarenus quem tu persequeris. Et qui me
cum erant lumen quidem uiderunt. Vocem autem non audierunt
ei qui loquebatur mecum. Et dixi. quid faciam domine.
Dominus autem dixit ad me. Surgens uade damascum et